Eccli. 41. 25.

Lachrymæ fœminæ, Veneris tricæ.

tantibus de ſilentio, à reſpectu mulieris fornicariæ. Hoc eſt, ex muliere impudica, caveas à ſalutantibus de ſilentio. Quinam hi ſalutantes taciturni? Illius lachrymæ: monetque tanti periculi amantes; quippe eſt pars fraudis in illis.

Ovid.

Nève puellarum lachrymis moveare, caveto:
Ut flerent oculos erudiere ſuos.

Uti dicit, qui nonnumquàm hiſce blanditijs addictus, 2. de *Remed.* v. 293. Non audet loqui, & loqui vellet: ſufficiunturque fraude doloſè lachrymæ (ſilentio ſalutant, clamant, revocant) ut iterùm capiant, atque virus in exterminium effundant. *Porphyrus ſerpens* (refert Ælian. 4. *Hiſtor. Animal.* cap. 36.) *colore accedente ad purpuræ ſaturatæ ſimilitudinem, capite verò pluſquàm niveo, & lacte multò candidiore, in India reperitur. Ei mordendi iccircò poteſtas eſt nulla; quòd dentium expers ſit. Ergo hac ex parte eum quaſi manſuetum dicere poſſumus; non item ex omnibus partibus: nam eius vomitio ſi quod hominis attigerit membrum; totum computreſcat, neceſſe eſt. Iccircò eum captum à cauda, ex arbore ſuſpendunt, ut illi caput ad terram verſus propendeat, tunc ſub eius os vas ſubijciunt æneum, in quod ex eius ore guttæ redduntur, quæ lachrymæ ſpeciem præbent. Ab eo extincto ſanioſus liquor, aquæ ſpeciem gerens, defluit. Horum autem uterque colore differt: hic niger eſt, illæ primæ guttæ electri ſimiles ſunt. Si quid cibo cui potioneve detur, acerrimà primò convulſione percellitur: deinde ei oculi pervertuntur, cerebrum per nares expreſſum delabitur; ſicque ille miſerabiliter quidem moritur, ſed tamẽ celeriter.*

Ælian.

Conditio & virus Porphyri ſerpentis.

15 Iam ergo dignoſcitur virus, quod in ſignum amoris oſtentabatur ut fletus, guttæ tenerrimi cordis.

Sunt lachrymæ teſtes.

Oth. Væn. d. Emb. 95

Sed cladis: igitur eum abſorpſit extrema infelicitas, qui attendit in inſidiatrices lachrymas. Plorat etiam crocodilus: & plorat, ut accendentem decerpat. Hæc introducta peſtis, quippe audivit oculis de ſilentio ſalutantes. Uſuvenit huiuſmodi etiam corporis corruptio; *Si mordeat ſerpens in ſilentio*: dicit Sapiens. Quiſnam ſerpens in ſilentio mordet? Qui ſalutando ſilentioſè interficit. Veneris lachrymæ tamquàm virus effuſæ: igitur quæ manabant ab oculis fœminæ; per effectum fuiſſe patuit morſum colubri. Sibi viſum videre fœminæ pulchritudinem; & in venit in mortem flentem ſerpentem. Virulentiam ſanè Porphyri, in lachrymarum ſpecie, qua morſus, veneno ſalutationis miſerè tactus, iugulavit iudicium, excuſsit cerebrum, percepit inſaniam, amiſit vitam: ita enim veneni truculentià conſtringitur; ut miſerabiliter inter tormenta ſummo dolore moriatur. Serpens erat, verùm ſilentio momorderat. Iam enim patiebatur lethale iaculum, dum ſenſit ictum: ita repentè ſine ſenſu ſenticnte veneni efficacitatem; quòd ipſa mors pernicem anteverteret dolorem. Hæc uſura cupidinis & quæſtus Veneris. Accinit Iacob. Boiſard. *Emblem.* 37.

Eccle. 10. 11.

Lachrymis fœminę plures depravati.

Luxuriæ ærumnæ.

Boiſard.

Sperne voluptatem: multorum eſt eſca malorum,
Solicitus mœror cui ſolet eſſe comes.
Illius uſuræ morbi, dolor, angor, egeſtas,
Et pudor, & nudo corpore pauperies.

TAUTOLOGIA SEPTIMA.

MALEDICTA DIES, IN QUA NATUS SUM: DIES, in qua peperit me mater mea. Ierem. 20. v. 14.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1 DIES noſtri parvi & mali: neceſſariaque patientia, quoniam dies mali ſunt. Si effugimus vel fugimus delicatuli ærumnam; neceſſe, quòd Deus eripiat de præſenti ſæculo nequam. At quis (non hinc, ſed hìc) aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Non ſat libertati; quòd ſit homo innocens manibus & mundo corde. Omnis creatura ingemiſcit & parturit uſqueadhuc. Quandiù ſumus in hoc tabernaculo, peregrinamur à Domino. Vaſa fragilia portat humanitas, quæ faciunt invicem ſine intermiſsione anguſtias. Omninò vita humana miſera & miſeranda; quippe ex ſe malis obnoxia; atque dolorum fœcunda, ferax uſque ad ſatietatem, expellens (vel miniſtrans dulcorem) etiam in dulcedine dulcedinem. *Nihil eſt tam fallax* (inquit Senec. de *Conſolat. ad Marciam*, cap. 22.) *quàm vita humana: nihil tam inſidioſum. Non mèherculè quiſquàm accepiſſet, niſi daretur inſcijs. Itaque ſi feliciſsimum eſt, non naſci; proximum puta, brevitate vitæ defunctos citò in integrum reſtitui.* Hoc in ſenſu ſenſus Græciæ, de quo latè Eraſm. 2. *Chiliad. Centur.* 3. n. 49. quem expreſsit Auſon. *Edyl.* 7. à v. 13. accinens:

Vita humana ærumnis plena.

Senec.

Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iras, inſidiaſque, catenatoſque labores,
Mutandos ſæpe gravioribus:
Cuncta ſibi adverſis contraria caſibus. Ergo
Optima Graiorum ſententia: quippe homini, aiunt,
Non naſci eſſe bonum, aut natum citò morte potiri.

Auſon.

2 Cognata ſunt hæc, vivere ſcilicèt & dolere. Diximus plura, *Tom. præced.* T. 1. à n. 1. ad illum: *Homo natus de muliere, repletur multis miſerijs.* Uni animantium luctus eſt datus. Curis ſcatet verſatile pectus. Cuncta mala ex humana conditione, cui iuncta producta à malignitate.

In homine idem vivere & dolere.

Mala plura ſunt bonis apud homines:

Euripid.

Ait Euripid. in *Supplic.* v. 196. quæ quidem perfida; quia numquàm adoriuntur incomitata cordolia: adverſitates maximis maiores ſupervenientes, plexique ex laboribus labores. Unde Salomon: *Verti me ad alia* (inquit) *& vidi calumnias, quæ ſub ſole fiunt, & lachrymas innocentium, & neminem conſalatorem; nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos: laudavi magis mortuos, quam viventes: & feliciorem utroque iudicavi, qui necdùm natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub Sole fiunt.* Laudantur mortui, qui mala perpeſsi, nec poſſunt pati: dulce enim verbum, *Præteritum malum.* Viventes verò periculis obſiti, ab his vellicantur, ab illis proteruntur, mortificantur à cunctis, mortem ante mortem paſsi ex vitalitate mortis.

Eccle. 4. à 1.

Mortua ſum certè ante mortem præ miſerijs.

Euripid.

Dixit Hecuba apud Euripid. v. 431. Quapropter alto cogitamine, inter viventem actu patientem, atque mortuum propter laborum vexamen; feliciorem iudicat necdum natum: ideſt, non naſcibilem. *Feliciorem*, negativè ſcilicèt; igitur non entis non ſunt paſſiones. Minus putà infelicem; etenim tametſi haud acquirat exiſtentiæ bonum; eſſe non bonum reſpectivè ad malum. Vid. *n.* 6.

3 *Feliciorem indicavi, qui necdùm natus.* Accipitur hìc nativitas pro conceptione. *Quod in ea natum eſt; de Spiritu Sancto eſt: pariet autem*, &c. Matth. 1. 20. *Quod naſcetur ex te ſanctum*, &c. Luc. 1. 35. Pſalm. 86. 5. *Homo & homo natus eſt in ea*: hoc eſt

Naſci pro concipi.

conceptus & natus, uti dicitur Virgini : *Ecce concipies in utero & paries.* Luc. cit. v. 31. Auguſtin. de *Sanct.* ſerm. 18. *Exultat Maria, & matrem ſe læta miratur : & de Spiritu-Sancto ſe protuliſſe, gaudet : nec quia peperit innupta, terretur ; ſed quia genuerit, cum exultatione miratur.* Sic enim *antequam parturiret, peperit.* Iſai. 66. 7. Igitur antequàm Chriſtus ex ea naſceretur, conceptus natus in ea. Uſus phraſi Ovid. 15. *Metamorph.* fab. ultim.

Auguſtin.

Ovid.

Proſpiciens prolem ſancta de virgine natam.

Quo patet, nativitatem pro conceptione uſurpari : & dum felicior dicitur non natus, indicari, qui necdùm conceptus. Siccine elucent termini noſtræ Tautologiæ ; præfatàque acceptione exponitur ſine violentia genuinè. *Maledicta dies, in qua natus* (ideſt, conceptus à genitrice ſum) *dies, in qua peperit me mater mea.* Idem eſt, fœminam parere, ac fœtum edi : at ſæpe naſci intelligitur pro concipi. Unde in noſtro pleonaſmo dies nativitatis prima periodus, prǽut in ea, ſecunda prǽut ex matris utero fœtus in lucem effuſus, accipienda eſt. Senſus ergo planus : Infauſtus profectò non ſolùm dies, quo in mundum natus ; ſed etiam dies, qua à genitrice conceptus. Liquet ex Iobo, cuius teſtimonium infrà unà cum preſenti nobis negotium faceſſet : *Pereat dies, in qua natus ſum, &* (pro *etiam*) *nox, in qua dictum eſt* (actus ſecundus pro primo) *conceptus eſt homo.* Favent Verſiones : Syr. *Maledictus dies, quo genitus ſum.* Hebr. *Peribit dies genituræ : naſcar in ea.* Haud ſecùs poſſemus exponere illud de Synagoga apud Ezechielem : *Quando nata es, in die ortus tui*, quaſi non eſſet eiuſdem ſententiæ geminatio ; ſed primò exprimeretur conceptus, denuoque partus, pro die conceptionis & nativitatis : cui quidem cogitationi aſtipulatur Verſio Septuaginta, dicentium : *Generatio tua : in die qua nata es, in die qua genitrix tua peperit te.* Hebr. *In die gignifieri, & natifieri te.* Sed non placet, quia dumtaxàt de Synagogæ partu fit exprobratio à Domino, uti videbimus, à n. 42. ex verſionibuſque perſpicuiùs intelligitur accipi generationem pro die qua Synagoga edita in lucem. Aliter ergo in noſtra Tautologia, qua ſub nativitatis ſpecie, duo matris præ ſe fœruntur munera : concipere nimirùm & parere. Unde utrumque complectens Ieremias, inquit : *Maledicta dies, in qua natus ſum : dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta.*

Expoſitio 1.

Iob. 3. 3. *Et pro Etiã. Actus ſecundus pro primo* Ezech. 16. 4.

4 Profertur, uti vidimus, à Salomone, genitus & natus ; & qui non natus, utroque iudicatur felicior. A nonnullis ſtrictè accipitur non natus & conceptus quaſi abortivus, ut idem ſignat, ſubdens : *De hoc ego pronuncio, quòd melior illo ſit abortivus.* Aſtrui videtur ex illo Iobi loc. cit. v. 11. *Quare non in vulva mortuus ſum ?* & 10. 18. *Quare de vulva eduxiſti me ? qui utinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret, de utero translatus ad tumulum.* Ierem. loc. præfat. v. 17. *Non me interfecit à vulva:: Quare de vulva egreſſum ſum ?* In genere abortivum debet accipi de omni eiectivo fœtu, qui caruit communi luce, & depulſus eſt à matre, informis, ſeu potiùs deformis, quin ſit ſpeciei ſpecies. Unde de Maria ſorore Moyſis ad illum dicit Aaron, cùm vidiſſet leproſam : *Ne fiat hæc quaſi mortua, & ut abortivum, quod proijcitur de vulva matris.* Numer. 12. 12. Hoc eſt lepra horrida, utpotè fœmina ſine humana figura. Ita præ humilitate Paulus ſe dicit abortivum ; quaſi præ incredulitate dignus reijci ab Eccleſia, cùm illum è Synagoga ſuſceperit Chriſti gratia. Abortivus ergo dicitur minus infauſtus, quàm natus, vel mortuus ; quia licèt reſpectu mortis habuerit ſenſus, reſpectu ærumnarum vitæ, nil eſt paſſus, ac per tranſitum quaſi incognitum ſub poteſtate mortis, immunis evaſit à pœnis mortalitatis. *Melior mors, quàm vita amara : & requies æterna, quàm languor perſeverans.* Hoc in ſenſu à Salomone non ſumitur abortivus, ſed tantum pro illo qui non genitus, nec futurus ; quaſi melius eſſet, non eſſe, quàm quæ hominis pati. *Quare miſero data eſt lux ?* hoc eſt vita : unde ſubdit : *& vita his qui in amaritudine animæ ſunt ?* Mortuum eſſe, longè meliùs, quàm vivere : verum optimum, non naſci. Vide dicta loc. cit. *Tom.* 7. Ita Lyran. in *Eccle.* 4. Abortivum intelligit non natum ; ſicut Origen. Homil. 7. in *Numer.* 12. Chald. in illud Iobi, cit. *Fuiſſem, quaſi non eſſem*, legit : *Eſſem quaſi non eſſem.*

Eccle. 6. 7.

Quid ſit abortivum?

1. Cor. 15. 8.

Iob. d. v. 20.

5 Occurrit, an ſit melius non eſſe, quàm eſſe malè ? Supponitur ex Philoſophorum axiomate, melius eſſe, eſſe, quàm non eſſe. Haud loquimur tropologicè ; quippe eſſe in peccato peſſimum eſt : profectòque melius, non eſſe, quàm peccare. Phyſicè enim loquimur, protritâ Mæcenatis fatuitate, quàm illudens & taxans deſcribit Seneca, *Epiſt.* 101. *Miſerrimum, atque miſerrima omnia efficiens* (inquit) *metus mortis. Inde illud Mæcenatis turpiſſimum votum ; quo & debilitatem non recuſat, & deformitatem ; & noviſſimè acutam crucem, dummodò inter hæc mala ſpiritus prorogetur.*

Quo ſenſu, melius eſſe, quàm non eſſe?

De-

Debilem facito manu
Debilem pede, coxâ:
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes:
Vita dum ſupereſt, benè eſt.
Hanc mihi, vel acutâ
Si ſedeam cruce, ſuſtine.

Senec.

Quod miſerrimum erat, optabat ; & tamquàm vita petitur ſupplicij mora. Contemptiſſimum putarem, ſi vivere vellet uſque ad crucem. Eſt tanti vulnus ſuum premere, & patibulo pendere diſtrictum, dum differat id quod eſt in malis optimum, ſupplicij finem? Eſt tanti habere animam, ut agam ? Quid huic optes, niſi Deos faciles ? Quid ſibi vult iſta carminis effœminati turpitudo ? Quid tam fœda vitæ mendicatio ? Uſque adeòne mori miſerum eſt ? Quid autem huius vivere eſt ? Diu mori. Invenitur, qui malit inter ſupplicià tabeſcere, & perire membratim, & toties per ſtillicidia amittere animam quàm ſemel exhalare? Aptè votum vocat effœminatum : etenim Iphigenia apud Euripid. in *Aulid.* v. 1250. iugulanda dicit:

Votum ridiculum aviditatis vitæ.

Gratiſſimum eſt, intueri hanc lucem:
Inferna minimè. Inſanit, qui cupit mori.
Melius eſt, malè vivere, quàm mori benè.

Euripid.

6 Auguſt. 11. de *Civ.* cap. 27. videtur aſtruere. *Ita vi quadam naturali* (inquit) *ipſum eſſe iucundum eſt ; ut non ob aliud, & ij qui miſeri ſunt, nolint interire : & cùm ſe miſeros eſſe ſentiant, non ſeipſus de rebus, ſed miſeriam ſuam potiùs auferri velint. Illis etiam qui & ſibi miſerrimi apparent, & planè ſunt, & non ſolùm à ſapientibus, verùm etiam ab his qui ſe beatos putant, miſeri iudicantur (quia pauperes atque mendici ſunt) ſiquis immortalitatem daret, qua nec ipſa miſeria moreretur, propoſito ſibi, quòd ſi in eadem miſeria ſemper eſſe nollent, nulli & nuſquàm eſſent futuri ; ſed omni modo perituri ; profectò exultarent lætitia, & ſic ſemper eligerent eſſe, quàm omninò non eſſe.* Suffragor, quippe ſenſus teſtimonij non alius, niſi melius eſſe pauperem vivere, quàm divitem mori, quod quilibet ſani iudicij eliget abſolutè. Quapropter Homer. 5. *Odyſſ.* v. 370. accinit:

Auguſt.

Malim equidem vel in agris vitam ducere ſervus
Pauperem apud dominum, cui res non ampliter adſit ;
Quam cunctis dominari apud Orcum, morte potitis.

Homer.

Sed omninò refragor auctoritatem poſſe retorqueri pro voto damnatorum in inferno. Sat erat ; quod dictum à Chriſto de proditore diſcipulo, quem manebat Tartarus, ut abiret in locum ſuum : *Bonum erat ei* (ideſt, *Melius*) *ſi natus non fuiſſet.* Matth. 26. 24. Si daretur optio, rationabiliter de non eſſe eſſet electio : igitur melius, non eſſe, quàm ſemper mori, vel ita vivere. *Melius non eſſe, quàm malè eſſe, Aliud eſt enim omninò non eſſe ; aliud, cùm ſit, abſque ulla intermiſſione cruciari: quomodo mortem quietam vitæ miſeræ præferimus.* Ita Hieronym. in loc. cit. *Ierem.* Naturalis eſt appetitus in eſſe naturale, ſicut averſio in eſſe præternaturale : quis enim appetit infirmitatem vel mortem ? Maiora, etſi non eſſent æterna, ſunt inferni cruciamina. Appetitur enim iurè exiſtere, ſed commodè ; non commodum, ſemper pati. Appetunt enim dæmnati eſſe ſine illa miſeria : verùm cum illa non eſſe : ſiquidem ſine eſſe non habebit bonum, cæterùm minimè patietur malum. Quæ inclinatio propendentis in eſſe miſerum ? Quorsùm ergo mel amarum ? *Melius fuiſſet non eſſe* (ait Auguſtin. ad *Fratr. in Erem.* ſerm. 26.) *quàm malè eſſe. Numquid non melius, carere eſſe ; quam eſſe, & perpetuò cruciari? Nam non eſſe, cui poſſit obeſſe, ignoro : ſed habere eſſe, & perpetuò cruciari ; quid aliud eſt, quàm mortem ſine morte ſemper habere?*

Adiectivum poſitivum pro coparativo.

Hieronym

Auguſtin.

7 D. Thomas aſtipulatur cogitatione pluribus in locis. Vid. 1. *p. q.* 5. *art.* 2. *ad* 3. & 1. 2. *q.* 8. *art.* 1. *ad* 3. Unde in quæſtionem ſubdit, in 4. *d.* 50. *q.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3. *Non eſſe dupliciter poteſt conſiderari. Uno modo ſecundum ſe ; & ſic nullo modo poſt eſſe appetibile, cùm non habeat aliquam rationem boni ; ſed ſit pura boni privatio. Alio modo poteſt conſiderari, in quantum eſt ablativum pœnalis, vel miſeræ vitæ ; & ſic non eſſe accipit rationem boni : carere enim malo, eſt quoddam bonum, ut dicit Philoſophus* 5. *Ethicor. Per hunc modum melius eſt damnatis non eſſe, quàm miſeros eſſe.* Satis hæc in ſpeculationem Subtilis D. in 4. *diſt.* 50. Nec inde colligi debet, animas cum ſolo peccato originali, appetere non eſſe ; igitur non habet pœnam ſenſus. Favent Theologi cum Magiſtro in 2. *diſt.* 33. & Angel. Preceptor. 1. 2. q. 83. art. 1. ad 5. ubi ait : *Melius eſt ei* (animæ) *ſic*

An damnati non eſſe appetant?

D. Thom.

eſſe

eſſe ſecundum naturam, quàm nullo modo eſſe. Sumpſit ex Auguſtino in *Iulian. Pelagian.* lib.5. cap.8. *Ego autem non dico parvulus, ſine Chriſti baptiſmate morientes, tanta pœna eſſe plectendos; ut eis non naſci potiùs expediret::: Quæ, qualis & quanta erit, quamvis definire non poſſim; non tamen audeo dicere, quòd eis ut nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent, potiùs expediret.* Habebunt itaque parvuli poſt iudicium feliciorem, auguror, vitam; quàm in hoc mundo iucundè felices habere poſsint. *Parvulos* (infit Scotus in Magiſtr. loc.cit.) *omnium rerum naturalium cognitionem habituros longè maiorem, quàm omnes Philoſophi habuerunt.* Idem ibid. D. Thom. *q.2.art.2.*& Lyran. in loc. cit. *Eccle.* Aliter Fulgentius de *Fide ad Petr.* cap.27.quod habetur de *Conſecrat.* diſtinct.4. cap. *Firmiſsimè*; quia res olim non ſatis diſcuſſa, ut ait Leſsius, 13. de *Divin. perfectionib.* cap. 22. uvi infit: *Excipient & ipſi ſententiam Iudicis, ſed benignam: qua etſi à viſione Dei & cœleſti regno excludentur; tamen ſtatum naturæ dignitati congruentem aſſequentur: quo contenti & læti in omnem æternitatem vivant, & Deum laudent. Unde mihi fit veriſimile, illos habituros inſignem notitiam non ſolùm rerum corporalium, ſed etiam ſpiritualium, & cognituros utcũquè clarè & diſtinctè eſſentiam animæ ſuæ, & etiam naturas Angelicas; etſi non tam perfectè::: Divina providentia ita cum illis aget* (ambigo) *ut nullum ſentiant mœrorem ob amiſsionem regni cœleſtis; eò quòd propriâ ſua voluntate non peccaverint. Nec hinc ſequitur illos habituros beatitudinem naturalem; qui labes peccati obſtat; etſi fortè omnia alia bona illius ſtatus habeant.* Hæc ſanè valdè arrident nobis; quippe tantùm patientur pœnam damni. Hilarius in *Geneſ.* v. 161.

Auguſtin. *An parvuli morientes in peccato originali?*

Scotus. *Illorũ conditio poſt iudicium.*

Leſsius.

Culpa comes ſequitur.

Hilar.

8 Sicut pœna comes vitæ, quippe neceſſe mori. Naſcuntur cum homine gemellæ calamitates, qua de cauſa prima vox naſcentium fletus. *Gemis ploras, & hoc ipſum flere, naſcentis eſt*: inquit Senec. *Epiſt.*102.

Senec.

Primo plorantes limine natos:

Stat.

Succinit Statius, 3. *Thebaid.* v. 574. Hac de cauſa fictum propter documentum (con credo factum) Thraces plorare natos, atque plauſu celebrare fato functos, uti dixi alibi ex Herodoto *lib.* 5. *n.* 2. *Recenter natum fletu parens excipit: contraversùm læta ſun funera, adeò ut exemptos gaudio proſequantur.* Idem Stobæus aſſerit de Gymnoſophiſtis, *ſerm.* 121. Vide Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 12. Philoſtr. lib. 5. de *Vit. pollon.* cap. 5. Quintill. lib. 5. *Inſtit.* cap.11. Pompon. Melam, *lib.* 3.*cap.*7. de Indis; ſicut Kircher. de Mexicanis, Tom. 3. *Oedip. Copt.* cap. 4. *Theatr. hieroglyph.* Ex Euripide refert morem Cicero, *Tuſcul. qq.* lib. 1. ubi;

Herodot.

Cur mors læta, atque vita gemebunda?

Nam nos decebat cœtus celebrantes domum
Lugeres ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At qui labores morte finiſſet graves,
Omnes amicos laude & letitia exequi.

Euripid.

Non vides (ait Senec. de *Conſolat. ad Polyb.* cap. 23.) *qualem vitam nobis natura promiſerit; quæ primum naſcentium omnen fletum eſſe voluit?* Floridè Lucret. 5. de *Rer. natur.* à verſ. 223.

Senec.

Tùm porrò puer ut ſævis proiectus ab undis
Navita, nudus humi iacet, infans indigus omni
Vitai auxilio, cùm primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit:
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum eſt.
Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

Lucret.

9 Recenſentur utique pueris futuræ calamitates; ſed fatuè: diſcent ex his quæ paſſuri; ut obſervat Lactant. Firm. de *Opific. Dei.* cap.3. Quorsúm notitia, ubi ſentitur, & non cognoſcitur pœna? Aliquatenùs levamen pœnæ, illam etiam ſentiendo non cognoſcere. De Sirenibus fictum, in tempeſtativus ſuaviùs conſueviſſe cantare, & ſereno cœlo lamentationibus flere. Quæ videtur conditio livoris, eſt emblema vitæ per caſus variabilis: etenim uti Sirena præcogitat ex temporis procella futuram tranquillitatem, ac ex ſereno cœlo temporis tranſmutationem. Inſunt næ vexamina videnti lucem; quippequàm homo naſcitur ad laborem. *Naſcentium vox prima vagitus eſt*: ait Solin. *cap.* 4. Facilè fertur, quod ab infantia diſcitur. *Inveteratus dolor deridetur*: ait Stoicus *Epiſt.* 63. Urget mordet, vellicat, pungit ſugillat, gravat, aggravat? ſed quid?

Invidiæ ſymbolum.

Solin.

Animus æquus optimum eſt ærumnæ condimentum.
Multa præter ſpem multis eveniſſe bona.

Plaut.

Ait

Ait Plaut. in Rudent. Act. 2. ſcen. 3. à v.69. *Non eſt magnus animus, quem incurvat iniuria. Quemadmodùm per frequentia urbis loca properanti, in multos incurſitandum eſt, & alicubi labi neceſſe, alicubi retineri, alicubi reſpergi; ita in hoc vitæ actu diſsipato & vago multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. Nulli fortuna tam dedita eſt, ut multa tentanti, ubique reſpondeant: Non ex deſtinato propoſita fluxerunt.* Ita Senec. 3. de *Ira*, cap.5. & 6. Dolor haud æſtimatur; ſed nimis, quem nihil cogit dolor, ut de Neſtore canit. Quint. Smyrneus, *lib.* 3. à v.6.

Non omnis hora felix. Senec.

Sed ferenda pacificè.

Omnium pectora acerbus obſedit luctus:
At Neſtor non prorsùs animo frangebatur.
Eſt enim prudentis viri, forti pectore ferre dolorem,
Nec animi cruciatu deiectum acerbitati ſuccumbere.

Q. Calaber.

10 In doloribus plures fiebant amentes, vel blaſphemi in Numina, quæ plerumque negabant, urgente in dolorem pœnâ.

Impatientia furioſa.

Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque Deos, atque aſtra vocat crudelia mater.
Quem non incuſavi amens hominumque, Deorumque.

Virgil.

Succinit Virgil. *Eclog.* 5. v.22. & 2. *Æned.* v.745. Verba dolor parùm conſiderat, maximè dum cruciamina comitatur patientis nota innocentia.

Denique dum vixi ſine crimine, mortuus eſſem.
Nùnc mea ſupplicio vita pudenda ſuo eſt.

Ovid.

Inquit Ovid. 4. *Triſt.* Eleg. 3. 47. *Nihil eſt enim difficilius, quàm magno dolori paria verba reperire*: ſubdit Senec. ad *Polyb.* cap. 22. Unde Naſo, 9. *Metam.* fab.11. & 3. de *Pont.* Eleg. 6. v. 47. de Biblide & ſe ſuccinit:

Senec.

Tùm verò mœſtam totá Miletida mente
Defeciſſe ferunt: tùm verò à pectore veſtem
Diripuitque, planxitque ſuos furibunda lacertos
Iamque palàm eſt demens, &c.
Sed pavor attonito rationis, ademerat uſum.
Ceſſarat omne meis conſiliumque malis.

Ovid.

Anne mirùm aliquid contra rationem fieri ab eo qui impotenti affectũ quaſi oppreſſus non habet in poteſtate rationem? Vexatio dat intellectum: magna perculſum ſpelivit, eiuſque diſcretionem in directionem fugit.

11 Haud aliter iuxta Calvinum indicatur Ieremias (ſimiliter Iobus dum protuliſſe dicitur: *Maledicta dies, in qua natus ſum: dies in qua peperit me mater mea. Maledictus vir, qui annunciavit patri meo, dicens: Natus eſt tibi puer maſculus.* Calvinus mente emotus alios præ dolore amentes impatienter arbitratur. *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos ſtimat.* Eccle. 10. 3. Eſſet in illo (ſicut fuit, teſte Beza) ſed non in Iobo, nec Ieremia.

Ubi ſupr.

Forſitan hoc ſtudium poſſet furor eſſe videri:
Sed quidnam furor hic utilitatis habet?
Seu ſtupor huic ſtudio, ſive eſt inſania nomen;
Omnis ab hac cura mens revelata manet.

Ovid.

Dicam in temeratium procacem ex Ovid. 1. *Triſt.* Eleg. 10. v. 11. & 4. *Eleg.* 1. v.37. Cùm legiſſet Ethnicos ita inſanire, inſanus vel viros perfectos inſimulavit inſaniæ. Ferè eadem verba Ieremiæ dixit Cicero Attico *lib.* 11. *Epiſt.* 9. *Hæc ad te die natali meo ſcripſi: quo utinàm ſuſceptus non eſſem, aut ne quid ex eadem matre poſteà natum eſſet!* Seneca, 1. de *Beneſ.* cap.1. *Quàm multi, quòd nati ſunt, queruntur? Natura tamen ipſos qui non fuiſſe mallent, eſſe patitur.* In *Octavia* idem à v.14.

Cicer. *Dolor nimius vecordes facit inſanios.*

Si quis manet ſenſus in umbris
Utinàm antè magnu grandævà ſuà
Mea rupiſſet ſtamina clotho!
O lux ſemper funeſta mihi!
Tempore ab illo lux eſt tenebris inviſa magis.

Senec.

Frequenter Poëtæ utuntur huiuſmodi deſperatione pro lævæ fortunæ hyperbole, vel pro oſtentatione inſaniæ, quæ in vanitatis plauſum, magnum illis videbatur ingenium.

Atque utinam primis animam me ponere cunis,
Iuſsiſſet quævis de tribus una ſoror.

Propert.

Ait Propertius *lib.* 2. *Eleg.* 13. v. 43. & Ovid. 3. *Triſt.* Eleg. 13. à v. 1. ſuccinit:

Ecce

Ovid.
Et diffidos.

Ecce ſupervacuus (quid enim fuit utile naſci?)
Ad ſua natalis tempora noſter adeſt.
Quoquo loco primum tibi ſum malè-cognitus infans;
Illo tentaſſes ultimus eſſe mihi.

Etiam ſtylo uſus Sedulius lib. 5. *Carm.* à v. 50. de proditore Iuda, ſtellionato cogitato atque perfecto.

Sedul.

Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique:
Atque utinàm ſterili damnatus matre nequiſſet
Natalem ſentire diem, nec luminis huius
Hauſiſſet placidas flabris vitalibus auras
Æterno torpore latens, miſeroque fuiſſet
Sor melior neſcire datam, quàm perdere vitam;
Aut malè fuſus homo confeſtin munera lucis
Perderet, ut pulvis quem ventus proijcit ingens
A facie terræ rapidiſque volactibus actus
Spargitur in vacuas nebulis obſcurior umbras.

Unde imprecationes Ieremiæ.

12 Lyranus verba Ieremiæ aſtruit prolata à ſenſu naturæ dolentis, animæ nequaquàm conſentiente ratione: affectu partis ſenſitivæ, qui eò rapitur, ut quodcumque nocivum averſetur: naturæ impetu ex incurſu nocuo, ac conditioni moleſto. Unde non impatientis non deſperantis, ſed valdè dolentis connaturales ſunt voces; igitur natura ſuum eſſe ſine incommodo appetit, quod ſuaptè detrectat & defugiens perhorreſcit. Quapropter queritur, dum malum patitur; mortemque optat, ſi graviſsimum ingeritur. Sibi malum cupit caro; quippe è ſenſu futuræ aliquando mortis, abſque ullo in cruciamen ſenſu. Haud præ malo exoptàt mortem, quod malum extremum; ſed quia finis & extremum malorum. Alapide in huiuſmodi cogitationem infit: *Ieremias abſtrabit hic à ſtatu gratiæ, meriti peccati, ab ordinatione Dei, à ſtatu futuræ gloriæ; & tantùm ſpectat naturalia bona & mala.* Unde Eccle. 7. 2. *melior* dicitur *dies mortis die nativitatis.* Ita etenim urgente aliquo malo gravi mors optata vel à pijs, perfectis viris, cœloque gratis. Moyſes dicit Domino: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia gravis eſt mihi: ſin aliter tibi videtur; obſecro, ut interficias me, ne tantis afficiar malis.* Numer. 11. 15. Elias *petivit animæ ſuæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* 3. Reg. 19. à 4. Tobias ait: *Præcipe Domine in pace recipi ſpiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quàm vivere*: cap. 3. 6. Cuncta mihi videntur voluntaria, eſtò à pietate non aliena: verùm quorsùm in plana tot acclivia?

Alapid.
Expoſitio 1.

13 Multoties anima zelo Dei tabeſcit: mortiſque votum oritur ex tædio vitæ, haud quia vitæ tædium; ſed quia priùs eliget, qui Dei flagrat amore, acerbiſsimam pati mortem, quàm videre Numinis protritam legem, & deſpectum Dei honorem. *Væ mihi* (exclamabat Mathathias) *utquid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis ſanctæ: & ſedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta ſunt: templum eius ſicut homo ignobilis: gloriæ eius vaſa, captiva*, &c. Mittitur à Domino Ieremias minitans captivitatem, ni cives Iuda deſerant ſculptilium adorationem. Quò magis clamabat, illum tota tribus irridebat. *Iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtationem clamito; & factus eſt mihi ſermo Domini in deriſum tota die. Audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu*: à v. 8. Ni audiretur, in cives, urbem ac templum exterminium à Domino minatur; quod profectò futurum in lamentum. Deſpicitur vaticinium: & cùm ab illo deſideraretur pœnitentia, & pro ea ampliora circumſpiceret flagitia; dicit zelo ductus & illorum malis percitus: *Maledicta dies, in qua natus ſum*, &c. Tædet animam meam vitæ meæ. Infelix næ. Non eſt imprecatio, ſed doloris vehementia, ex quo vitæ faſtidia; quia tali in tempore tracta, quò videbat ſacra abdicta, & viſurus ſtragem populi, profanacionem templi, atque exitium totius Reipublicæ.

Expoſitio 3.
Quæ videtur imprecatio, eſt doloris expreſſio.
Ovid.

——— *Mallet neſciſſe futura.*

4. Eſdr. 5. 35.

Ut de vate profanà canit Ovid. 2. *Metam.* fab. 10. Eodem in articulo haud ſecùs queritur Eſdras; *Quare Domine? Ad quid naſcebar, aut quare non fiebat matrix matris meæ mihi ſepulchrum, ut non viderem laborem Iacob, & defatigationem generis Iſrael?* Siccine premebatur Samuel, dum ſecum cogitabat, quæ adverſus Heli conſtriſtatus audiverat. *Diſſolutum eſt cor eius, & dixit: Si ſic ut prophetizem à perditione nutritoris mei; quomodò datus ſum in petitionem matris meæ? Et quis me ſuſcepit?* Mors optatur, quia do-

Phil. Bibl.

cn-

cumenta in ſalutem à populo peſſum eunt. Pariter qui corruptelam vidit iuvenis bonæ frugis, magiſter; dicebat apud Plautum, in *Bacchid.* Act. 1. ſcen. 2. v. 41.

O Barathrum, ubi nunc es?
Vixiſſe nimio iam multo pluſquàm volueram,
Video. Vixiſſe nimio ſatius eſt iam, quàm vivere.

Plaut.

14 Dolor enim quaſi ultra mortis dolorem, dilectis annunciare calamitatem.

Atque ut nàm non vita tibi lugenda, ſed eſſet
Mors mea.

Ovid.

Ovid. 4. *Triſt.* Eleg. 13. v. 41. Cùm ſe videret Ieremias mitti nuncium in exterminium civium; dolet, oſtenditque verbis lucis odium, atque mortis deſiderium: igitur potiùs appetit mori, quàm mala præviſa nunciare; cùm in munus Dominus inſtat, Propheta ſe inter infelices numerat. Infelix agnoſcitur dies, quo conceptus: infelix, quo natus. *Væ mihi mater mea: quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra? Omnes maledicunt mihi.* Retorquatur Statius 5. *Silvar.* 1. à v. 82.

Expoſitio 4.
Ier. 15. 10.

Conſilia, atque ipſam mentem probat: ille ſubactis
Molem immenſam humeris, & vix tractabile pondus
Impoſuit.

Statius.

Unde Ieremias inter ſacrum & ſaxum, ſubdit, v. 17. *Ut fieret mater mea ſepulchrum. Quare de vulva egreſſus ſum, ut viderem laborem & dolorem, & conſumerentur in confuſione dies mei?* Facilè intelligitur propoſitum ſitò *Ut* mater fieret ſepulchrum, accipias pro *Utinàm*, quod uſuvenit. Terent. in *Eunuch.* Act. 2. ſcen. 3. v. 10. *Ut illum Di deæque perdant.* Donat. hìc, *Ut pro Utinam*: ſicut in Adelph. 4. 6. v. 1. *Ut te cum tua monſtratione, Syre, magnus perdat Iupiter.* Sic ergo facilis figuratæ imprecationis interpretatio. Animum q. d. pungit ſuperventuræ denunciatio vaſtitatis: dolet prædici per me. Infelix natus ſum. Utinàm priùs mihi fieret mater mea ſepulchrum, quàm ad hoc pareret fœtum! Quare execratoriæ quæ videntur voces; ſunt lamentationes, in ſigna calamitatis, præ qua potiùs placet mori, quàm videre; & acriùs, in calamitate vivere. Hebraiſmus hauc invitè per interiectiones exponendus: 4. Reg. 6. 5. & 15. *Heu, heu, heu, domine mi.* Tob. 10. 4. *Heu, heu me, fili mi.* Sophocl. in *Oedip. in Colon.* v. 830. *Heu, heu, quò eamus ò Iupiter? Ad quid me Deus in præſenti impulit?* Impellebat Deus in malorum prædictionem Ieremiam, quippe populi appetebat pœnitentiam, ut elargiretur puniendis innatam miſericordiam. Malè apud ſuos audiebat Propheta, quippequàm vaticinabatur dura: verum cum compelleretur; ſecum dolens lamentatur, dicens: *Maledicta dies*, &c. ideſt, *Væ miſero mihi*: utinàm non eſſem, imò nec fuiſſem, aut peperiſſet mater! Caſtro: *Utinam non natus!*

Verſ. 17.
Ut pro Utinàm.
Expoſitio 5.
Execratio pro interiectione dolentis.
Expoſitio 6.

15 In Scriptura imperativum ſufficitur pro optativo. Iſai. 16. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*: 45. 8. *Rorate cœli deſuper*, &c. optativa ſunt (ſicut illud Moyſis, Exod. 4. 13. *Mitte quem miſſurus es*) quæ quidem per *Utinàm* vividè demonſtrantur; velut fit à Propheta, 64. 1. exclamante: *Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes!* Hoc in ſenſu Ieremias, quippe ſe arbitrabatur infelicem; optat ſterilem matrem. Cur non ſe, ſed diem quo compos lucis ſignat plenum infelicitatis? inquirunt Rabbini: & reſpondent ungivenduli, eodem die prophetam natum, quo decurſu temporis templum deſtructum: ac cùm prænoſceret diem deſolationis; infauſtum ſeu nefaſtum dicit diem præpriæ nativitatis. *Hebræi quintum menſem* (ait Hieronym.) *quo capta Hieruſalem, templumque ſubverſum eſt, nativitati Ieremiæ ſupputant inextricabilibus quibuſdam & incredibilibus argumentis.* Si argumenta (potiùs deliria illorum) cupis ſcire, Kircherum conſule in *Hebr. Cabala*, à cap. 4. Ita hoccine verum, ſicut in Deo lachrymæ (quas vel in falſis Numinibus negarunt Ethnici, ut videris apud Homer. *Iliad.* 9. & Ovid. 10. *Metamorph.* fab. 5.) Verùm illorum audi audacem parrheſiam in Tract. *Moed.* ſive de *Faſtis*, diſtinct. 5. *Deum* (blàſphemi aiunt) *habere locum quendam ſeparatum, in quo ſtatutis temporibus, multis cum lachrymis deflet, ac ſeipſum affligit; quòd Iudæis iratus, templum evertit Hieroſolymitanum, & populum ſuum in captivitatem diſperſerit. Quoties reminiſcitur calamitates, quas Iudæi à Gentibus patiuntur; lachrymas duas effundit in mare Oceanum, & præ dolore pectus utraque manu contundit.* Ita in *Zermaim*, tract. 1. diſtinct. 9. Talmudiſtæ. Quinam niſi fanatici auderent hæc effutire?

Imperativum pro optativo.
Hieronym.
Blaſphemia Rabbinorũ.
Talmut.

16 Aliter cogitatur origo infelicitatis Ieremiæ. Si infortunia populo loquebatur malè audiebat: quapropter ſtatuit tacere, ne tantæ impiorum pateret perſecutioni. *Dixi, Non recordabor eius, neque loquar ultrà in nomine illius.* At quid ex huiuſmodi cogitatu,

Verſ. 9.

Et pro Sed.

ratoque conſilio? *Et* (pro *Sed*) *factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque in obſsibus meis: & defeci ferre non ſuſtinens.* Non quibat in corde comprimere flammam: ſi loquebatur, luebat locutionis pœnam: infelicemque dicit diem nativitatis ſuæ; quippe nequibat ſine gravamine ſacra loqui, vel tacere.

Senec.

——— Verba nunc cluſo malè
Cuſtodit ore, Vates impatiens Dei.

Aliò, ſed ad rem, dicit Seneca de Caſſandra in *Agamemn.* v. 714. Haud ſecurum loqui (ut verbis utar Lucani 1. *Pharſal.* v. 630.)

Lucan.

His uti concepit magnorum fata malorum,
Exclamat: Vix fas Superi, quæcumque monetis,
Prodere me populis.

Foris pugnæ, intus timores. Quid ergo ſacer perficiet Vates? Silebit? Ignitum eloquium. Quis enim abſcondet ignem in ſinu? Quis uſtus tacet? Profectò ferre non poterit. Retorquatur etiam commentum figuratæ fictionis, ut ſit nævo procul ſpeculum veritatis.

Virgil.

At Phœbi nondùm patiens immanis in antro
Bacchatur Vates: Magnum ſi pectore poſsit
Excuſsiſſe Deum. Tanto magis ille fatigat.

Ait Virgil. 6. *Æneid.* v. 77. Articulus diluceſcit Ieremiæ, qui maluit Dei verba infortunatis loqui, quàm infortunia vel proprio malo tacere. Exemplum inſigne refert Ioſephus ante vaſtationem Urbis per Romanos, cuius meminimus, *Tom. 6. T. 5. n. 49. His horribilius fuit* (inquit, 7. de *Bell.* cap. 12.) *Ieſus quidam filius Anani, ruſticus, quatriennio prius quam bellum gereretur, in ſumma civitatis pace atque opulentia; cùm ad feſtum dieni veniſſet, repentè exclamare cœpit: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hieroſolymam & templum, vox in maritos novos, novaſque nuptas, vox in omnem hunc populum: atque hæc interdiù noctuque clamitans, omnes civitatis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum inſignium adverſum omen indignè ferentes, corripiunt hominem, multiſque verberibus afficiunt. Ille autem neque pro ſe, neque ad eos qui ſe mulctabant ſecretò quicquam locutus, eadem quæ priùs vociferans, perſeverabat. Magiſtratus autem rati quod erat verum, magis divinum eſſe hominis motum; ducunt eum ad Romanorum præfectum: ubi plagis uſque ad oſſa laceratus, neque ſupplex cuiquàm fuit, neque lachrymavit, ſed ut poterat inclinans maximè flebiliter vocem, ad ſingulos ictus reſpondebat Veh veh Hieroſolymis. Albino autem interroganti (is namque iudex erat) quiſnam eſſet, vel unde ortus, aut cur iſta diceret; nihil retulit. Non priùs autem ceſſavit à luctu miſeræ civitatis; donec eum Albinus furere iudicatum dimiſit. Ille autem ad belli uſque tempus neque adibat quemquam civium, neque loqui viſus eſt; ſed quotidie velut orationem quamdam meditatus, Veh, veh Hieroſolymis querebatur. Nec imprecatus eſt cuiquam, cùm in dies ſingulos multaretur, nec victum offerentibus benedicebat: ſola verò eius reſponſio ad omnes erat, Triſte præſagium. Maximè autem diebus feſtis vociferabatur; idque per annos ſeptem & quimque menſes continuos facies, neque voce raucior fuit, neque delaſſatus eſt, donec obſidionis tempore, ipsà re perſpectis augurijs, ipſe quievit. Supra murum quidem circumiens iterùm; Veh veh civitati, ac fano, ac populo, voce maximà clamabat; cùm autem ad extremum addidit: Veh etiam mihi; lapis tormento miſſus eum ſtatim peremit, animamque adhuc illa omnia lugentem dimiſit.* Sic enim Ieremiam cùm ſpiritus propheticus urgeret, & ſilere non poſſet; flamma cordis foràs erupit, ut patet in ſeqq.

Spiritus propheticus urget efficax. — Ioſeph. — *Expoſitio 7.*

17 Ex his rara & ſingularis Doctiſs. Sanctij cogitatio. Aſtruit ergo *num.* 16. & 26. Ieremiam in huiuſmodi miſsione nihil moleſtum fore, ſecum arbitratum fuiſſe; igitur cum illo manus Domini, ut non prævalerent, imò nec valerent inimici: ac cùm ſe videret non ſolùm alapà percuſſum, ſed in nervo totà nocte crudeliter poſitum; de Domino queſtus eſt ſecum, non animi aſſenſu; ſed ſenſus dolentis conſilio, quaſi ſeductus eſſet à Domino: etenim eò anguſtiæ, Præſidis templi inſolentià devenerat; quo numquàm vel in extremo diſcrimine cogitaverat: vidit ergo repentinam furentis oppreſsionem, cùm credidiſſet etiam in periculis undique incolumitatem. Unde ſecum nil ultrà loqui decrevit, ne quid ſimile poſteriùs adveniret: cuius propoſiti, ratione poſt dolorem vigili, ita pœnituit, ſuamque fragilitatem inconſtantem ita doluit (cùm ſibi videretur aliquid fidei Numinis detractum) ut inferretur dulciſsimæ vitæ tædium: elegeritque potiùs illicò mori, quàm in illa ſuggeſtione vel citra conſenſum fuiſſe: quapropter ſtatim exclamat: *Maledicta dies*, &c.

Expoſitio 8.

Sic

Stat.

Sic auferre citò umbram conatur, & ingens
Certamen cum morte gerit, curaſque fatigat.

Ut accinit Statius 5. *Silvar.* 1. v. 1. Cogitatio Sanctij ſolummodò cogitatio: ſibi ipſe reſpondeat. *Quomodò igitur quereretur* (ait *num.* 24.) *impendere ſibi mala propter iniunctum ſibi prophetandi negotium, aut cur doleret de carcere ac nervo; cùm gratias proximè egiſſet Deo de ſua libertate?* Non enim præfatæ cogitationi crimen; quippe numquàm cogitatum propoſitum Prophetæ venit in mentem. Vide *num.* 32.

Sanct.

18 Propterea cum Vates ſacer ſe tunc vidiſſet vallatum doloribus, & ex parte carnis & ſtimulo mentis; carnis, propter incarcerationem: mentis, propter continuum populi crimen, meditatemque ſanctiſsimi templi cladem; exclamat: *Maledicta dies, in qua natus ſum*, &c. q.d. Quorsùm conceptus & natus? Utinàm non fuiſſem, ne ita eſſem! O tempora! ò mores! Utquid lucem vidi, ſi tanta taliſque miſera conditio in cruciamina maneret? Ita Polycarpus fervente perſecutione, ut refert Euſebius, 5. *Hiſtor.* cap. 19. dicebat: *O bone Deus, inque tempora me ſervaſti, ut hæc patiar!* Ita Auguſtinus, teſte Poſſidonio, optavit, quòd vel à civitate recederet hoſtis, vel patientiam obſeſsis, vel ſibi eripi è vivis. Ita Paulus, cùm præ tribulatione illum tæderet etiam vivere: 2. *Cor.* 1. 8. & nil vel ſecum niſi certamen cerneret, *Quis me liberabit*, inquit, *de corpore mortis huius?* Rom. 7. 24. Anguſtia præſens moleſtior videtur morte. *Melius mihi erat* (interpretatur Theodoret.) *in vulva finire vitam, & mortuum egredi, quam in has omnis generis delabi calamitates.* Hac enim preſſura ductus Iobus, querulus aiebat: *Quare de vulva eduxiſti me, qui utinàm conſumptus eſſem, ne oculus me videret?* Videtur minoris mali mori, quàm ſic eſſe. Potiùs ſemel pati, quàm diu mori: etenim ſubita mors, mors non eſt: & acerrimè premit, ſi protracta mors depaſcit. Paulatina mordet, repentina vorans deglutit: & quæ habetur cordi pro beneficio; ut magis cruciet, elongatur ab eo. *Apocal.* 9. 6. Incommodis conflictatur, verùm ærumnis non vincitur; quia mori non licet, dum libet mori, experiente mortali, immortalitatem in tormentis conſtitui.

Imprecatio pro lamentatione. — Euſeb. — *Expoſitio 9.* — Theodor. — Iob 10. 8 — *Cur minoris dicitur mali mori, quàm in doloribus vivere?*

Senec.

Mori cui facile, numquam miſer.
Occidere eſt, vetare cupientem mori:
Malo imperari, quàm eripi mortem mihi.

Inquit Senec. in *Hercul. Oet.* verſ. 111. & in *Thebaid.* à verſ. 10. aſtruitque Ovid. in *Ibim.* verſ. 197.

Ovid.

Nec mortis pœnas mors alterà finiet huius:
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

Hinc in ſignum diuturnioris mortis vitalis, viſcera renaſcentia in paſtum vulturis, finguntur Promethei, à Vatibus Ethnicis: & de Tytij cruciamine immortali accinit Virgil. 6. *Æneid.* v. 597.

Quænam mors immortalis? — Virgil.

——— Roſtroque immanis vultur adunco
Immortale iecur tundens, fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

19 Quid ergo moleſtius Ieremiæ, quàm prævidere populi totius indeclinabile malum, & nullum à malis provideri remedium? Levamen triſtis arbitratur mortem, ne videat tantæ civitatis ſtragem. Felices enim cogitantur, qui morte eiuſmodi ſpectaculum effugerunt. Sic Troià captà, ac clade expertà, nullaque in ſalutem inventa vià; Æneas

Expoſit. 10

Virgil.

Talia voce refert: O ter, quaterque beati
Queis ante ora patrum, Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere! O Danaum fortiſsimæ gentis
Tydide! Mène Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe? Tuàque animam hanc effundere dextrà;
Sævus ubi Æacidæ telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta ſub undis
Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volvit?

Ita Virgil. d. 1. v. 98. iteratque *lib.* 2. v. 322. de quo fusè egimus, *Tom.* 2. *T.* 12. *n.* 5. & Senec. d. in *Agamemn.* v. 508.

Optantur dolores mortis præ dolore viſæ cladis. — Senec.

Quid fata poſſunt? Invidet Pyrrhus patri,
Aiaci Ulyſſes, Hectori Atrides minor,
Priamo Agamemnon. Quiſquis ad Troiam iacet,
Felix vocatur.

 Non

Non aliter Ieremias, dum infortunia cogitat, vagatur vitæ querulus, quippe felicem ſe rebatur, ſi eſſet mortuus, vel non natus. *Quare* (dicit) *de vulva egreſſus ſum, ut viderem laborem & dolorem*? O mala & quanta & qualia!

Virgil.

Vos animam hanc potiùs quocumque abſumite letho.

Virgil. d. 3. v. 654. Pars ſenſitiva dolet, & non futuri ſed præſentis meminit. Proinde huiuſmodi votum inefficax arbitror practicè, & dicisgratià tantùm ſpeculativè; de quo ingenioſus Apologus apud Ioanne. Bapt. Gabiam. Afflictus non vult mori, ſed vivere ſine præſenti cruciamine; ut accidit ruſtico, cuius aſellus cum onere luto hæſit: & cùm levare non poſſet, mortem impatienter incogitans invocavit. Aſtitit invocata actutùm, & ruſtico dixit: *Quid vis*? Mortem ille aſpexit, quæ coram ſummè diſplicuit: & Morti dixit tremulus, ſed ore feſtivus: *Iuva me, ut cum aſino iacente tollam onus.* Multi morti ſe offerentes vovent, verum advenientem cavent. Nemo ſe ſpontè dedidit, quam ſpontè ex voto deſideravit.

An votum mortes tantùm ſpeculativum?

Apologus.

Senec.

Magnifica verba mors propè admota excutit.

Ait Ulyſſes apud Senec. in *Troad.* v.574. Nihil mirum, ſi præferat dolens pectus quæ patitur ad extremum, quod paſſurum: futura cruciamina ſunt futura; cæterum coram oculis præſentia, quorum ſtimulis optabile nomen mortis.

20 Poteſt quoque exponi huiuſmodi vitæ tædium quoad ſpeciem, impoſsibilem ſupponendo conditionem: frequenter enim optatur numquam fuiſſe, ex quo dimanat aliquid incommodi. *Numquam fuiſſet ipſa pecunia*, por qua miſſus Tobias iunior in Reges Medorum; dicebat mater eius: *cap.* 5. 24. Sic ergo votum Ieremiæ erga impoſsibile, verum ex velleitate: q. d. Natus ſum, ſed ita infauſtus, quòd vellem (ſed fieri nequit) *ut fieret mihi mater mea ſepulchrum*. Nec vivere valeo, nec mori poſſum. Ad rem Saluſtius in *Orat.* Adherbalis in *Bell. Iugurth.* infit: *Ego infelix in tanta mala præcip tatus. Utinam emori fortunis meis honeſtus exitus eſſet, ne vivere contemptus viderer: ſi defeſſus malis iniuriæ conceſsiſſem! Nunc neque vivere libet, neque mori licet.* Haud ſecus Iobus, dum dicit: *Pereac dies, in qua natus ſum*, &c. Perire nequit; ſed vellem perijſſe, ſi poſſibile eſſet: ſic enim, negato tempore, erat impoſsibile naſci. *Habemus in nobis quendam voluntatis actum, qui ab Ariſtotele 3. Ethicor. appellatur voluntas, qui eſt impoſsibilium; & per hoc differt ab Electione, quæ non eſt niſi poſsibilium: voluntas autem eſt impoſsibilium. Nos talem voluntatis actum conſuevimus appellare velleitatem; quia tendit ad id quod potiùs vellemus, quam volumus: non enim voluntate deliberatà, ſed velleitate vellemus numquam mori; quod eſt impoſsibile. Hoc itaque voluntatis actu, quem Velleitatem vocamus, uſus eſt Iob, dicendo: Pereat dies nativitatis meæ. Uſus eſt autem hac velleitate ſciens & prudens abſque peccato. Servatis ſiquidem omnibus circunſtantijs rectæ rationis, uſus eſt velleitate reſpectu obiecti impoſsibilis, ad manifeſtandum internam triſtitiam de miſeria ſuæ vitæ; eſſe humano animo naturalem ac rationalem; unde patet, nec deſipuiſſe, nec deſperaſſe; quoniam una & eadem ratione hæc omnia volita non voluntate deliberatà, ſed velleitate.* Hactenus & ſolidè in huiuſmodi cogitamen Caietanus.

Verſ. 17.

Expoſit. 11

Saluſt

Iob. 3. 3.

Diſcrimen voluntatis & velleitatis.

Caietan.

21 Cuncta igitur probabilia; verum à me, quantumvis variè illuſtraverim, non probata nec probanda. Multoties voluntariæ expoſitiones extorquent ſenſum, quin vel faculam miniſtrent in obſcurum teſtimonium: ſuaque nonnulli ſomnia ſatagunt haberi Scripturæ ſacramenta: & dum nodum bucceſantes ſolvere oſtendunt, Gordium inextricabiliter adſtringunt. De ſenſu myſtico non loquemur: vide Gregor. Magnum, *lib.* 4. in *Iob*, cap. 4. & 15. qui Ieremiæ ac Iobi imprecationes peccato attribuit originali; ut dies miſerabilium ærumnarum pereat, & ſplendor immortalitatis erumpat. Bernard. ſerm. 72. in *Cantic.* num. 9. non originariæ tribuit tranſgreſsioni; ſed huius criminis pœnæ; quippequàm Eva vivit in noſtra carne, & patet ex rebellione. Ex nobis ipſis gerimus, unde certamina toleramus. Petrus Damian. *lib.* 1. *Epiſt.* 2. aſsignat obſcuris æternis pœnis ex die mundanæ, miſeræ felicitatis. Proinde turbati timore horribili, præ anguſtia ſpiritus gementes, talia dicent in inferno hi qui peccaverunt: *Ergo erravimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis: ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum iactantia quid contulit nobis*? Etiam Ethnici clamant, ut in hac vita peccatores reſipiſcant.

Senſus myſticus imprecationum Prophetarũ Expoſit. 12.

Sap. 5. à 6.

Manil.

Singula nam proprio ſignarunt tempora caſu,
Longa per aſsiduas complexi ſæcula curas.

Succinit Manil. 1. *Aſtron.* cap. 1. à v. 54. & Senec. in *Thyeſte*, v. 877.

Fruſtrà quæruntur damnati.

O

Senec.

——— *O nos durà ſorte creatos!*
Seu perdidimus Solem miſer, ſive expulimus.
Abeant quæſtus.

Talia dixerunt in inferno. My! dicamu ex Claudian. 2. in *Eutrop.* v. 7.

Claudian.

Quid iuvat err res me à iam puppe fateri?

2 Maledicta dies, in qua natus ſum: dies, in qua peperit me mater mea. *Maledictus vir, qui nunciavit patri meo dicens: Natus eſt tibi puer maſculus*, &c. Videtur ſententia hominis præ dolore deſipientis, vel animi deſperantis. *Si quid exteriùs rationabile fortaſſe ſonnuiſſet* (ait Gregor. d. *cap.* 4.) *nequaquam nos ad ſtudium interioris intellectus accenderet. Hoc nimirum tantò nimirſecus maiori myſterio plenum eſt, quantò extrinſecùs humanà ratione vacuum.* Ita ergo Iobus, ſuper quem cœlum calamitatibus pluit, & tota inferni procella detonuit; exclamavit: *Pereat dies, in qua natus ſum; & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo.* En Achilles totius diſputationis, ſed proclivè diſſolvetur cauſa certaminis. Mentem utriuſque ſancti viri ſubitò promam; quin quod videtur animi deſponſio, impatientis imprecatio, devotio diris, blaſphemia Numinis, & his ſimilia, quaſi Dei voluntati at rationi disformia; ſit quod inſcijs videtur ad ſpeciem, ſed lamentotio ullum leve citra crimen. Pateat ergo in utraque periodo utriuſque propoſitum ſine ſcrupulo. Inteliligendum igitur, *Maledicere* in Hebræo ſignificare & maledictionem, & infelicitatem. Præut ſonat, plura ſunt & obvia teſtimonia: etiam plura ſunt pro acceptione ſecunda. Innuitur & iteratur ſedecies Deuter. 28. à 16. *Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictus fructus ventris tui*, &c. ideſt, infelix ubicumquè & undecumque. Idem *Ioſue* 8. à 33. *Maledictus* (infauſtus ſcilicèt) *qui confidit in homine.* Ierem. 17. 5. ſicut fauſtus, *Benedictus vir qui confidit in Domino*: v. 7. In eodem ſenſu, ibid. 11. 3. & 48. 10. Sic namque dum à PP. dicitur, nos eſſe ſub Evæ maledictione; intelligendum eſt, ſub infelicitate: quo intelligitur illud Pauli: *Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt* (hoc eſt, ſub infelicitate) *ſcriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea: Chriſtus nos redemit de maledicto legis; factus pro nobis maledictum* (per Heteroſim, abſtractum pro concreto) *quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Infauſtum profectò atque calamitoſum pendere in ligno, vel apud Ethnicos. Unde pro infelicitate ait Senec. *Epiſt.* 101. de Cruce: *Addactus ad illud infelix lignum.* Plaut. uſquequaquè: *Abi directus* (nimirùm) *in malam crucem.* Miſer habebatur, cuius vita peribat tormentis; ſed infelicisſimus, qui tortus ad mortem diritate crucis. Quapropter cùm pro nobis Chriſtus in cruce mortuus; non ſolùm dicitur infelix, quem impulit ſumma charitas, ſed ipſamet infelicitas igitur mortis pertulit tormentum; & quod miſerius, ipſum crucis ſubijt execrabile ſuplicium.

Ubi ſupr.

Greg. Magn.

Iob. ubi ſupr.

Maledictio pro infelicitate.

Galat. 3. à v. 10.

Heteroſis.

Senec.

23 Senſus iam planus verborum Ieremiæ. Videbat caſſam legem, commune civium crimen, ſine ulla ſpecie correctionis, vel imminente acerbitate cladis, irriſus à ploratu-ris, merito deplorandis, irrito in converſionem pœnitudinis voto, permanente in ſupplicium Dei decreto. Quare cùm undique vallaretur anguſtijs, ac potaretur amaritudine fellis; imo de pectore ſuſpiria trahens, & flammam zeli ferre non ſuſtinens, ait: Infelix natus ſum: infelix dies, quo conceptus, infelicior quo natus: infelix etiam qui patri meo natale nunciavit, & quaſi lætitia implevit: igitur in id tempus deveni, ut nemo infelicior è tanta calamitate. Premit præſens, venturumque malum, arctans in votum; ut optem numquàm natum, nec conceptum. Ita Paulus: *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius*? Rom. 7. 24. Priùs enim, ſi poſsibilis eſſet in neceſſarijs electio, vellem non eſſe, imò nec fuiſſe; quin etiam ſi conceptus, ſtatim mori, quàm tot cordolia experiri, ac ſine morte pati; quippe mors ſic vitalis potentior morte.

Genuina expoſitio.

Mortem aliquid ultrà eſt? Vita, ſi cupias mori.
Mors minus pœnæ habet, quàm mora mortis.
Et bella & ignes & urbis mala ſæviunt.
Dumque iſta venient, interim hæc pœna in loco eſt.

Senec.

Succinit Senec. in *Agamemn.* v. 992. In *Ercul. Oet.* v. 928. ac in *Troad.* v. 995. Non mors hæc, ſed plures mortes. *In mortibus frequenter*: dicit Paulus, & Promethæus apud Æſchyl. in eo, & Natal. Comit. 7. *Mythlog.* cap. 19.

2. Cor. 11. 23.

Multò magis ſemel iuvaret emori,
Quàm vivere in dies acerbè ſingulos.
Ut omnibus finem feram laboribus.

Æſchyl.

Mors